DE ANGINA CRUPALI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM CONSESU...

Gaspare Rigoli



MATRI OPTIMAE

AC FRATRIBUS DILECTISSIMIS

HASCE TENUES PAGELLAS

AMORIS ET GRATI ANIMI CAUSSA

LUBENTISSIME VOVET

ET SACRAT

FILIUS AC FRATER

DEVINCTISSIMUS.

DE ANGINA CRUPALI.

—o—

1. *Morbi idea et synonimia.*

Peculiaris angina quae acutissima et gravissima infantes praediligit cum nisu in secretionem lymphatico-plasticam secus organa respiratoria, passim ab auctoribus *Angina Crupalis*, vel *Croup Anglorum* compellatur. Quoqua haec adfectio *Suffocatio stridula* Homii, *Cynanche stridula* Walbonu, *Angina suffocatoria, strangulatoria, polyposa, membranacea, Orthopnaea membranacea, Pharyngo-tracheitis membranacea* et sic posso nominari consuescit.

2. *Nosographia.*

Angina Crupalis de more epidemice saevit, non desunt tamen casus quibus tantum sporadica huq et illuc evolvatur. Licet praesens morbus infantes ac pueros saepissime invadat, inficiandum tamen non est quod ultra pubertatis tempus quandoque appareat; ast in adultis rarissime occurrit, et levioribus semper symptomatibus se prodit.

Inchoante angina crupali, infantes et pueri pristinam amittunt hilaritatem; fiunt tristes, morosi, irascibiles, cum lingua muco albo, vel flavescente foedata, et dolore modo obtuso frequentius lancinante et constringente in partibus anterioribus colli, quibus larynx et anuli superiores traebeae respondent. Persaepe collum antarius quidquam prae norma tumet, et sub levi pressione dolor acutus,

vel peculiaris sensatio molesta excitatur. Itidem primis morbi exordiis, plerumque facies rubet et tumet, nec non cephalalgia et ingenti pondere capitis aegri conqueruntur.

Elapsa una vel altera hora ab initio symptomatum expositorum, quandoque illico morbi primis exordiis febris vehemens, cum pulsu celerrimo, duro, siccitate et ardore gutturis, tussi frequenti et sicca invadit. Haud raro in robustioribus sub impetu tussis sanguis e naribus fluit. Paullo serius spiritus maxima difficultate trahitur, et sub impetu tussis aegrotantes continuo minis suffocationis premuntur. Dum vero aegri tussiunt, respirationem absolvunt aut loquuntur sibilus *sui generis* percipitur, qui aliquo intuitu cum voce stridula gallinarum, aut canis ejulantis comparari solet. Nonnunquam sub impetu tussis nausea vel ipse vomitus superveniunt, et tunc mucus albuminosus eminenter viscidus expuitur. Sub inspectione faucium, raro rubor, tumiditas et reliqua symptomata phlogoseos harum partium sensibus percipiuntur; de more e contra facies, manus, et pedes intumescunt.

Angina Crupalis intra nycthemerum, aliquando etiam post duodecim vel sexdecim horas a primis exordiis, raro ultra biduum vel triduum ad maximum acmen pervenit. Tunc febris continua urget; tussis frequenter aegros defatigat cum minis semper crescentibus suffocationis; et nonnunquam vasa capitis adeo distenduntur, ex impedito sanguinis refluxu ad venas jugulares et cavam descendentem, ut ipsae apoplexiae metus notatur. Nihilominus deglutitio facile absolvitur, aut parum solummodo

laeditur. Sub maximo morbi acmine, urina antea aquosa fit turbida, hypostatica, et pulsos nuper fortes et duri, sub maxima virium vitalium oppressione, fiunt parvi, intermittentes et suppressi. Sputa generatim desunt, et si forte notantur, substantia albuminosa eminenter viscida et nonnunquam tubulosa, cum manifesto omnium symptomatum emolumento ab organis respiratoriis expellitur. Quod si forte substantia lymphatico-plastica morbose secreta aecus organa respirationi inservientia omni intuitu expoatur, tunc aegrotantea mira sane ratione de orci faucibus ad novam vitam, quin dicam ad perfectam sanitatem restituuntur. Aliis casibus, et quidem frequentioribus collectio abnormis polyposa laryngis et tracheae tantum pro parte expellitur; tunc aegrotantes solummodo per breve tempus levantur, et denuo omnia symptomata pristina vel majori vi saeviunt. Nonnunquam, absque ulla excretione materiae albuminosae aegri valdopere levantur, adeo ut febris ardor et constrictio gutturis, tussis, et dyspnaea plane sileant; ast elapsa una vel altera hora quin symptomata ominosa distingui possint, aegri inopinate moriuntur. Aliis casibus dyspnaea pedetentim augetur, tussis siletj pulsus fiunt tremuli intermittentes et aerius quidem, sed absque sensibili senauum internorum externorumque alteratione extremum fatum ingeuit.

Deorsum hujus morbi eminenter variat siva aegri pristinam recuperare possint valetudinem, sive casibus funestioribus ad orci fauces impellantur. Persaepe tertia vel quarta die haec adfectio aegros enecare solet; interdum post hebdo-

madam et etiam serius aegrotantes decedunt. Dum morbus faustis sub avibus incedit, post triduum vel quadriduum omnia symptomata pedetentim imminuuntur; expectoratio copiosa liberatur; alvus aperitur; et omnes secretiones externae, potissimum illae perspirationis cutaneae at urinarum, abunde fluunt. Pueri et adulti, fere semper per diutius temporis spatium hoc morbo vexantur, licet fausta resolutio hujuscemodi adfectionis illis arrideat.

Sub cadaverum sectione omnia indicia praegressae phlogoseos in larynge, trachea et quandoque ipsis pulmonibus notantur. Revera tunica mucosa viarum aerearum non modo rubet et tumet verum etiam hinc inde pseudo-membrana lymphatico-albuminosa obtegitur. Nonnunquam haec membrana firmam cylindricam aut tubulosam suppeditat et omni intuitu lumen laryngis, tracheae aet bronchiorum occludit. Bronchii et pulmones aliquibus casibus injectionem et roborem valda distinctum exhibent; et dantur casus in quibus membrana polyposo-albuminosa supra nutata, praecipuas bronchiorum et pulmonum divisiones occupare solet.

Communis vigebat opinio in angina crupali, morbum quoque fauces afficere; nihilominus pervolvente aegrotantium vita, raro fauces rubent; et proprio ufficio physiologico deglutitionis impediuntur; at etiam sub cadaverum sectione utpote in statu sano persaepe sensibus patent.

Quoad injectionem meningum et cerebri, nec non ad affusionem seroso-cruentam inter menin-

ges aut in ipsis cerebri cavitatibus, praetereundom non est hasce alterationes esse tantum sympathicas et accidentales, atque impedito sanguinis refluxu e vasculis capitis ad venas jugulares et cavam descendentem solummodo propriam agnoscere originem.

Symptomatibus modo expositis atque repertis sub cadaverum sectione facile patet, anginam crupalem sua prima origine propriam agnoscere sedem in larynge et trachea, et solummodo temporis progressu ad alias partes respirationi inservientes aliquibus casibus diffundi posse.

Decursus porro acutissimus morbi, febris valida et continua, dolor, ardor et constrictio gutturis anteriora versus; vox stridula; tussis de more sicca aut sputis parcis, crudis, lymphatico-plasticis distincta; metus continuus suffocationis; pulsus fortes et duri sub initio morbi, dein suppressi et intermittentes, demum alterationes quae in organis respirantibus post mortem aegrotantium reperiuntur extra dubitationes sleam ponont anginam crupalem indolem eminenter inflammatoriam sibi vindicare. Neminem tamen latet hanc phlogosim *aliquid specifici*, nti dicam, ostendere; nam prae adultis infantes et pueros frequentissime ipsa aggreditur; epidemice persaepe et nonnunquam more contagiorum grassatur atque diffunditur, et caeterum peculiarem |nisum in effusionem lymphatico-plasticam semper ostendit.

Nonnulli anginam crupalem in *phlegmonosam*, *erysipelaceam* et *catarrhalem*; alii in *laryngeam* et *trachealem* distinxere; ast hae divisiones sunt mere

arbitrariae, nam diversum solummodo intensitatis gradum, aut primitivam sedem diversam tantum indicare valent; caeterum anatomes pathologica nos docet in hoc morbo tunicam mucosam tracheae et laryngis eminenter affici, et phlogosi laborare.

3. *Aetiologia.*

Omnes plane auctores in eo conveniunt, quod omnia momenta causalia bronchitidis et laryngotracheidis, anginam crupalem promovere queant quoties super individua huic morbo praedisposita symbolam exerant. Humiditas et frigus improvisum, perspiratio cutanea de repente suppressa, potissimum dum frigus improvisum agit super corpus aestuans et madidum, veluti causae potiores anginae crupalis habentur. Quoque retropulsio exanthematum haud raro anginam crupalem inducere potest, quando genium infaustum epidemicum emineat cujus influxu angina ipsa debacchatur.

Initium veris, autumnus et hiems hujusce morbi evolutioni favent. Loca porro humida, regiones maritimae, et prope lacus pariter praesentem adfectionem frequentiorem reddunt.

Disputatum est an angina crupalis more contagiorum diffundi queat nec ne. Observationibus tamen comprobatur hunc morbum de more grassari quando tussis convulsiva, morbilli, scarlatina et aliae adfectiones contagiosae propriae infantibus et pueris saeviunt; nihilominus proba-

bile est anginam crupalem tantum genio infenso epidemico austineri, quin fomite contagioso ipsa evolvatur, et par contactum propagari sinat.

Quoad momenta disponentia et inata humano organismo sufficiat recordari infantes et pueros robustos et temperamenti sanguinei prae delicatulis, pastaceia et temperamenti nervosi hacce adfectione laborare. Maxima vitalitas membranarum mucosarum, frequentia exanthematum in primis vitae aetatibus atque intima philadelphia quae viget inter systema cutaneum et illud membranarum mucosarum facili negotio frequentiam maximam anginae crupalis in infantibus, pueris atque adolescentibus explicare valent. Quum vero irritabilitas emineat in hominibus plethoricis, robustis et sanguineo temperamento donatis, nil mirum quod individua hujuscemodi potissimum hoc morbo aggrediantor.

4. Diagnosis.

Complexu symptomatum supra expositorum, nec non cognitione causarum disponentium atque occasionalium diagnosis hujusce morbi superstruitur. Intensitas febris; ardor, constrictio, et dolor ad regiones anteriores colli quibus larynx et trachea respondent; tussis sicca aut laciniis albuminosis, lymphatico-plasticis, tubulosis et fortiter haerentibus notata; sonus peculiaris gallinaceus et stridulus sub inspiratione, loquela et tussi, et demum praecepa atque acutissimus morbi decursus, vix non semper praesentiam anginae crupa-

lis patefaciunt. Nihilominus aliquibus casibus haec adfectio cum angina catarrhali, asthmate acuto Millar, catarrho suffocativo, tussi convulsiva et angina gangraenosa maligna confundebatur. Ut proinde errores diagnostici vitentur, haud pigeat paucis verbis discrimina quae inter anginam crupalem et basce adfectiones vigent delineare.

In angina catarrhali praeprimis fauces et glandulae lymphaticae colli intumescunt; vox fit rava, ast nullum exhibet sonum stridolum; tussis de more est sibilans; dyspnaea modica evadit absque minis suffocationis, et sputa mucosa notantur.

Asthma acutum infantum Millar prae aliis pueros et infantes sensiles, delicatulos et graciles praediligit, de repente incobstur cum minis suffocationis et dein ad temporis intervalla nimirum ter vel quater in die et amplius ad accessus recurrit, nulla stipatur febri, et aegrotantes post accessum veluti in statu physiologico lectum derelinquere possunt. Caeterum in asthmate acuto infantum deficit sonus peculiaris stridulus tempore tussis et quando etiam aegri loquuntur; sputa tubulosa, albuminosa propria anginae crupalis deficiunt, et prae antiphlogisticis atque solventibus, juvant opista, moschus, asafoetida et reliqua medicamina antispasmodica.

Oppressio maxima pectoris, nisus continui ut thorax expandatur, ronchus bronchialis et vesicularis humidus vel siccus, absque incommodis laryngis et tracheae et absque sono crupali, pariter *bronchitidem capillarem* infantum seu *catarrhum suffocativum* ab angina membranacea distinguunt.

In tussi convulsiva diagnosis facile superstruitur si attendimus morbum per quatuor et amplius hebdomadas produci; ad accessus speciatim nocturno tempore recurrere; sono peculiari ast omnino a sono crupali distincto incedere; et demum tractamen antiphlogisticum mite sub morbi initio in posterum vero adstringens atque antispasmodicum deposcere.

Demum angina gangraenosa maligna gravitate, decursu acutissimo morbi, et minis suffocationis pro parte cum angina crupali conveniret quoties ad laryngem adfectio ipsa protendatur; ast in angina gangraenosa illico primis exordiis indicia putridae resolutionis, halitus fastidissimus, nausea, vomitus, alias diarrhaea, sudores profusi faetidissimi, color atro-purpureus et tumiditas faucium notantur. Elapsa prima alterave morbi die in faucibus maculae lividescentes aut pustulae exiguae apparent, quae citissime in ulcera lurida et depascentia transeunt. Porro in angina gangraenosa, potius quam respiratio impeditur deglutitio. Dolor et constrictio gutturis parum aegrotantes defatigant; vox diversimode ac in angina cropali alteratur; et si forte expuuntur laciniae mucosae, hae potius quam ab organis respiratoriis, a membrana mucosa faucium procedunt.

5. *Prognosis.*

Angina crupalis morbum semper sistit periculo plenum, et quolibet casu prognosim valde reservatam exposcit. Nihilominus, indicium erit ma-

gis infaustum quoties morbus initio negligatur, et symptomata gutturis emineant cum tussi sicca et nimis continua suffocationis. Generatim aegrotantes morte suffocativa pereunt; quandoque sub impetu tussis ipsa apoplexia minitator. Expectoratio copiosa substantiae albuminosae et tubulosae; tussis et febris quae pedetentim imminuuntur; respiratio quae post tertiam vel quartam morbi diem liberior peragitur, secretiones cutis et urinarum, necnon alvus liberae vicinam morbi resolutionem persaepe pollicentor. Nonnunquam post anginam crupalem perstant phlogoses bronchiorum et pulmonum quae per longum tempus protrahi possunt, et quandoque in causa sunt ut phthisis et marasmus evolvantur. Caeteris paribus angina crupalis epidemica gravior quam sporadica habetur.

6. *Cura.*

Contra anginam crupalem primis morbi momentis ab aliquibus emetica suadentur, illo nimirum intuito ut sub impetu vomitus lympha plastica quae in larynge et trachea deponitur forinsecus expellatur. Nostrum non est inficiari, emetica et prae primis ipecaquanham dosi generosa variis in casibus opitulari; attamen si per haec pharmaca expulsio materiae lymphatico-albuminosae organorum respirantium illico non superaccedat, debemus quam cito ab ipsis emeticis recedere, ne sub impetu vomitus dyspnaea et minae suffocationis adaugeantur. Pariter in prin-

aipio morbi hirudines ad latera colli, inunctiones cum unguento neapolitano prope partes adfectas, balnea universalia tepidula; et in pueris robustis pro necessitate ipsa phlebotomia celebranda atque iteranda erit.

Quo promptius methodus antiphlogistica et solvens energica in usum vocatur, caeteris paribus, eo magis spes sanationis aegrotantis arridet.

In angina crupali, medico speciatim interest secretionem morbosam substantiae albuminosae in larynge, et trachea praecavere, aut saltem expulsionem vel absorptionem ipsius substantiae sollicitare. Primae indicationi hirudines numero 8-12 et amplius ad latera colli adplicitae, atque inspiratio vaporum emollientium tepidorum satisfaciunt. Emetica interdum expulsionem substantiae lymphaticae viarum aerearum provocant; et demum mercurialia interne et externe usurpata absorptioni hujusce lymphae albuminosae favent.

Unguentum neapolitanum hocce in morbo ad drachmam unam vel alteram in die porrigitur, et calomel interne ad granum semis vel integrum forma pulvis aut pilularum pro qualibet dosi quater aut sexies in die repetenda optime conducit. Medici angli quoque unguentum cinereum ad grana duo forma pilulari pluries de die in angina crupali commendant. Quod si per usum internum et externum mercurialium ptyalismus evolvatur; aegrotantes generatim insigne persentiuntur levamen, nam sub adaucto sanguinis affluxu ad glandulas salivales symptomata morbosa gutturis summopere imminuuntur.

Hucuaque generalem delineavimus therapiam contra anginam crupalem consulendam. Oportet nunc singillatim de variis adminiculis therapeuticis convenientibus aliqua exponere. Vidimus in robustis, plethoricis, cum febri violenta, pulsu duro, forti et vibrante phlebotomiam generalem arridere. Venae sectiones generales porro eo magis opitulantur in pueris elapso sexto vel septimo anno, nam hacce aetate vires generales melius tractamini energico antiphlogistico respondere possunt. Infantes porro ante tertium vel quartum annum de more adplicationes sanguinis loocales melius sustinere solent. Hirudines diverso numero admoveantur pro varia morbi intensitate et virium aegrotantium conditione pariter admodum varia; casibus frequentioribus N. 8-10-12 semel aut etiam bis in die adplicantur.

Elapsis primis morbi diebus nonnisi perraro methodus antiphlogistica aegrotantes sanare potest, eo quod morbus jam in exitus funestos abierit. Tunc si aliqua spes adhuc alere nobis licet, haec certe in revellentibus et solventibus fortioribus sita est.

Balnea tepidula vel calida et sinapisata ad pedes, melius quam semicupia et balnea generalia conveniunt, eo quod propter pediluvia irritantia pariter ac sub usu balneorum universalium promovetur benefica diaphoresis, quin uno tempore congestiones capitis occurrant quas haud raro balnea universalia sequuntur.

Vesicantia porro, sinapismi, rubefacentia, et unguenta irritantia ammoniacalia vel stibiata potissimum in subjectis torpidis optime conducunt.

Emetica non solum morbi initio verum etiam fractis symptomatibus acutae laryngitidis et tracheitidis laudantur, ad provocandam excretionem et expuitionem materiae lymphatico-plasticae quae morbose in organis respiratoriis deponitur, et mortem suffocativam minitatur.

Cavendum tamen sedulo ne sub prima expuitione substantiae albuminosae modo expositae emetica, antiphlogistica et solventia negligantur, nam haec secretio morbosa denuo reproducitur, et aegri post breve levamen, in pejus ruunt et maximo vitae periculo obvolvuntur.

Praeter emetica, interne etiam purgantia in angina membranacea usu veniunt. Inter haec vero jalappa, gummi-gutta, et prae caeteris calomel commendantur. Verum enim vero sub interna horum medicaminum administratione non solum vires exaltatae aegrotantium cohibentur, sed etiam benefica revulsio in intestinis producitur. Calomel vero ab omnibus plane practicis remedium princeps in hoc morbo dijudicatur, dum scimus ipsum modica dosi alvinos dejectiones repetitas et copiosas promovere et uno tempore sua virtute solvente secretionem morbosam laryngis et tracheae imminuere, vel saltem humoris lymphatico-plastici effusi absorptionem sollicitare.

Expulsa membrana polyposa, et fractis symptomatibus generalibus atque localibus laryngotracheitis, emetica dosi refracta sunt consulenda ut nauseae tantum excitetur et diaphoresis promoveatur. Vesicantia ad artus inferiores et pectus ipsum, usque ad perfectam morbi resolutionem

sunt admovenda, ne morbus de repente pristina vi saeviat atque ingravescat.

Persaepe, licet rato tempore opportuna methodus adhibeatur, morbus adeo ingravescit ut aegrotantes continuo suffocationis periculo torqueantur. Hisce casibus quum unguentum neapolitanum et calomel nullum levamen attulerit, ipsa periclitatur bronchotomia, nam per hanc operationem aer atmosphaericus facile organa respiratoria ingreditur, tussis excitatur valida, et casibus felicioribus larynx, trachea e bronchii membrana polyposa liberantur.

Galli novissimis temporibus ad suffocationem praecavendam in hoc morbo illico bronchotomiam suadent, et dein solutionem nitratis argenti in organis respiratoriis commendant. Hacce methodo membrana lymphatico-plastica in viis aereis in momento solvitur, at aegri mirum in modum levantur. Experimenta attamen nostra Clinica instituta, comprobarunt in posterum broncho-pneumonitides lethales evolvi, qua de re nunc temporis apud nos injectiones nitratis argenti in angina crupali omnino negliguntur.

Complicationes quae forte in capite et visceribus abdominalibus in hoc morbo observantur, opportunis adminiculis therapeuticis et praecipue hirudinibus ad tempora, pone aures, vel ad parietes abdominales sunt auferendae.

Nonnulli causticum potentiale ad latera colli, vel ad nucham scopo revellente contra hanc speciem anginae commendant. Hucusque tamen praxis utilitatem causticorum haud confirmavit.

Devicta angina crupali aegrotantes per longum tempus, nimirum per duas tresve hebdomadas diaetam potius severam servare debent, ne morbus denuo appareat, aut phlogoses pectoris sequantur. Caveant porro aegri ab humiditate et frigore improviso nam haec adfectio maximam semper proclivitatem in recidivam reliquit.

Ne vero infantes et pueri hoc morbo aggrediantur, oporteret loca relinquere in quibus angina crupalis endemice vel epidemice saevit; et sedulo errores diaeteticos atque vicissitudines atmosphaericas vitare.

FINIS.

Theses defendendae.

1.

Mercurialia in Angina Croupali utillima habenda.

2.

Nostalgiam montanis frequentissimam.

3.

Physiognomiam aegrotantium pluribus in casibus morborum diagnosim explanare.

4.

In gelidis regionibus facultates intellectuales, in calidis vero facultates affectivas praestare.

5.

Lacrymas persaepe animi motus vehementiores lenire.

6.

Prognosim, nunc temporis medicorum scopulum.

